Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2013

Quelle:
Copyright:

tini vertunt iuſtificare, *ex conſuetudine linguæ illius ſignificat iuſtum æſtimare* &c. Agitur hic etiam de *Merito bonorum Operum*, de *Operibus Supererogationis*, de *Satisfactione*, undè Autor ad *Monachatum* delabitur, quem penitus improbat. Ex quo facile conjici poteſt, quae et in praecedentibus ejus doctrina ſit.

XXI. *fol.* 186. *De humanis inſtitutionibus* ſeu *Traditionibus.* Initium: *Tria obſeruanda ſunt in humanis inſtitutionibus et regulis* &c. Sex produntur *Traditionum* claſſes, quarum priores quinque probantur; ad ſextam vero referuntur *Pſeudoparadoſes et deuteroſes phariſaicæ*, ut Diſſertatori ſunt: *Commentitium miſſæ ſacrificium, purgatorii incendium, ſacerdotum celibatus* &c.

XXII. *fol.* 189. *De Eccleſia et Schismate.* Incipit: *Eccleſiam illam Chriſti immaculatam et omnis erroris expertem non eſſe alligatam Hierarchiæ aut ordinariæ poteſtati et ſucceſſioni uel autoritati gubernantium et obtinentium nomen eccleſiæ, nec certo alicui loco, nec titulis, nec rebus ullis externis præterquam ſcripturæ ſacræ et verbo Euangelij firmis rationibus demonſtrare conabimur.* &c. Contra Primatum *Petri* et Rom. Eccleſiae.

XXIII. *fol.* 204. *An ad Regnum Chriſti ſpirituale res externæ, hoc eſt, ordo miniſtrorum, lectio ſcripturarum, doctrinæ, exhortationes, diſputationesque ex ſacris literis ductæ pertineant. Ag. Pu.* Multis ultro citroque expenſis affirmat ea ad regnum Dei pertinere, quatenus *iis organis et medijs regnum ſuum in nobis conſeruari fidemque noſtram teneram et imbecillam nutriri et confirmari voluerit, quanquam hæc omnia inania prorſus, nulliusque momenti ſint, ſi efficacia ſpiritus deficiantur.* Initium: *Sunt nonnulli, qui quum audiant regnum Chriſti ſpirituale eſſe* &c.

XXIV. *fol.* 210. *De ſtatu animarum poſt mortem.* Incipit: *Quis ſit ſtatus animarum poſt hanc vitam vsque ad diem magni iudicij, non inter omnes conuenit, eo quod ſcriptura obſcurius ea de re loqui videatur.* &c. Expoſita de Purgatorio Eccleſiae Catholicae doctrina ſubjicit: *Hæc ſententia Chriſtianis ſynceriore cognitione Chriſti iam illuſtratis admittenda nullo modo videtur.*

XXV. *fol.* 214. *Criſis* acatholica in *Articulos* aliquot Mandati eccleſiaſtici *Johannis Ducis Cliviae* an. 1532. Subditis propoſiti circa Sacramenta, officium Miſſae, Ceremonias, Sectas et Librorum lectionem, et an. 1533. innovati. Vituperatur maxime Miſſa, cultus SS. et Aquæ Salisque benedictio.

XXVI. *fol.* 218. *Quæſtiones propoſitæ Magnificis — Viris tum Primarij tum Secundarii cleri ciuitatis Colonienſis, aſſerentibus cum publice tum priuatim, cum ſcripto tum voce, retinere ſe, ac retinere velle doctrinam et ceremo-*